

Resp. N. conf. Mens humana non dicitur incompleta eo sensu quod sit quasi dimidium substantiæ, cui desit aliquid ad rationem substantiæ; sed eo tantum sensu quod sit apta ad corpus informandum & hominem una cum corpore constituendum.

Objic. 3. Quod crescit, viget, deficit cum corpore; quod omnibus corporis mutationibus est obnoxium, debet dissolvi & interire cum corpore, atqui mens humana &c.: crescit enim in pueris, viget in juvenibus, deficit in senibus, sana est in sanis, ægra in ægris... Resp. Dist. Maj. Si hæc omnia menti realiter non secus ac corpori contingant, C. Maj. Si apparenter tantum, & ex occasione corporis, N. Maj. D. M.; N. C. Illæ igitur mutationes quæ videntur menti humanæ contingere, ipsi revera non accidunt, sed sunt propriæ solius corporis, cujus organis mutatis, necesse est, ut anima videatur mutata, propter arctissimam quam habet cum corpore conjunctionem. Itaque mens non *ratione sui*, sed *apparenter* tantum crescit, viget, ac deficit; scilicet quandiu mens conjuncta est corpori, ea videtur esse conjunctio a Deo instituta ut nullæ oriantur in mente cogitationes, quas statim non consequantur aliqui spirituum animalium motus in organis corporis & præsertim in cerebro, & vicissim nulli fiant spirituum animalium motus, saltem aliqua ratione, quin illico mens ad varias cogitationes pro istorum motuum varietate determinetur. Unde cum imbecilla sint & imperfecta corporis organa, dum nimis molle est ac fluidum cerebrum,